

structuræ faxa passim disiecta, quadrata forma in hunc ipsum usum alias comparata: ex his murus quadrante materia facile eductus, castellaque illi imposita, fossaque ab utraque parte deducta. Isthmum ipsum Xerxianis temporibus Græci muro claufere. Constat, procedente tempore plerosque Principes tentasse navigabili alveo eas angustias perfodere, Demetrium Regem primo, inde Cæsarem Dictatorem, post hunc Caligulam, novissime Domitium Neronem, infausto tamen (ut omnium exitu patuit) incœpto. Quatuor Turcorum millia, qui ante Corinthi mœnia castra habebant, triduo postquam eo ventum est, conati sunt subito incurfu Venetum ab instituto opere avertere: sed fugati, atque in castra compulsi, sequenti nocte, priusquam Isthmus muro clauderetur, per aperta adhuc loca tacito agmine abiere, nullo præsidio tota peninsula relicto. Eo impedimento Veneti duces levati, illis ipsis diebus, quibus adhuc circa opus erant occupati, levissimas aliquot expeditiones per centuriones fecere. Benedictus Collio *Misistratum* est missus. Affirmant quidam locorum periti, id oppidum esse, quæ & Sparta olim fuit. Cæteris igitur subito incurfu raptis, sola arx ab hoste retenta est. Cecidit in ea oppugnatione Collio, ejus expeditionis princeps: Joannes cognomento Magnus, & ipse cum valida cohorte Londarium adortus, cæteris repente occupatis, arcem expugnare non potuit.

Isthmi opere perfecto, validisque præfidiis firmato, Bertoldus cum reliquis copiis ad Corinthum oppugnandam ire pergit. Est ea urbs tam arduo quam opportuno loco sita: quippe quam Philippus Macedonum Rex, unam ex Græciæ compedibus appellare solebat: medio fere Isthmi intervallo colli applicita habitatur, olim Ephyre dicta, sexagenis ab utroque littore stadiis, e summa sua arce, quæ Acrocorinthus vocatur, duo maria, Ionium hinc, inde Ægeum prospiciens. Tripartito Venetus eam est adortus: Bertoldus ipse ad occasum metatus est, Joannes Attellanus ad ortum, sub ipsis pene muris ad boream Lazarus Pontolianus cum aliquot centuriis confedit. Bis oppidum oppu-

*Corinthus
a Venetis
frustra op-
pugnatur.*